

GN. Recte facitis. Unum etiam hoc vos oro, ut me in
vostro gregem

Recipiatis. Satis diu hoc jam saxum volvo. *PH.* Re-
cipimus.

CH. Ac libenter. *GN.* At ego pro istoc, Phædria, et tu
Chærea,

Hunc comedendum et deridendum vobis propino. *CH.*
Placet.

PH. Dignus est. *GN.* Thrafo, ubi vis, accede. *TH.*
Obsecro te, quid agimus?

GN. Quid? Isti te ignorabant. Postquam eis mores osten-
di tuos,

Et collaudavi secundum facta et virtutes tuas,
Impetravi. *TH.* Bene fecisti. Gratiam habeo maxu-
mam.

Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent
plurimum.

GN. Dixin' ego vobis, in hoc esse Atticam elegantiam?

PH. Nil præter promissum est. *GN.* Ite hac. Vos va-
lete, et plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

P.

P. TERENTII HEAUTONTIMORUMENOS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS, L. COR-
NELIO LENTULO, L. VALERIO FLACCO
ÆDILIBUS CURULIBUS. EGERE L. AM-
BIVIVUS TURPIO, L. ATTILIUS PRÆ-
NESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS
CLAUDII. GRÆCA EST MENANDRU.
ACTA PRIMUM TIBIIS IMPARIBUS, DE-
INDE DUABUS DEXTRIS. ACTA ETIAM
TERTIO, TI. SEMPRONIO, M. JUVEN-
TIO COSS.

Personæ.

PROLOGUS.

CHREMES, *senex.*

MENEDEMUS, *senex.*

CLITIPHO, *adolescens.*

CLINIA, *adolescens.*

SYRUS, *servus.*

DROMO, *servus.*

SOSTRATA, *matrona.*

PHRYGIA, *ancilla.*

BACCHIS, *meretrix.*

ANTIPHILA, *Chremetis filia.*

NUTRIX.

HEAU-

HEAUTONTIMORUMENI

ARGUMENTUM,

C. Sulpicio Apollinari
Auctore.

*IN militiam proficisci gnatum Cliniam,
Amantem Antiphilam, compulit durus pater:
Animique sese angebat, facti pœnitens.
Mox ut revorsus est, clam patre divortitur
Ad Clitiphonem. Is amabat scortum Bacchidem.
Cum arcesseret cupitam Antiphilam Clinia,
Ut ejus Bacchis venit amica, ac servolæ
Habitum gerens Antiphila. Factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho. Hic technis Syri
Decem minas meretriculæ aufert a sene.
Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.*

P.

P. TERENTII

HEAUTONTIMORUMENOS.

PROLOGUS.

NE cui sit vestrum mirum, cur partes seni
Poeta dederit, quæ sunt adolescentium;
Id primum dicam: deinde, quod veni, eloquar.
Ex integra Græca integram comœdiam
Hodie sum acturus Heautontimorumenon;
Duplex quæ ex argumento facta est simplici.
Novam esse ostendi, et quæ esset. Nunc, qui scripserit,
Et cuja Græca sit, ni partem maxumam
Existimarem scire vestrum, id dicerem.
Nunc, quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.
Oratorem esse voluit me, non prologum.
Vestrum iudicium fecit: me actorem dedit.
Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
Nam quod rumores distulerunt malevoli,
Multas contaminasse Græcas, dum facit
Paucas Latinas: id factum esse hic non negat,
Neque se id pigere, et deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum; quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.

R

Tum

Tum quod malevolus vetus poeta dicitat,
 Repente ad studium hunc se applicasse musicum,
 Amicum ingenio fretum, haud natura sua;
 Arbitrium vestrum, vestra existimatio
 Valebit. Quare omnes vos oratos volo,
 Ne plus iniquum possit quam æquum oratio.
 Facite æqui fitis, date crescendi copiam,
 Novarum qui spectandi faciunt copiam
 Sine vitiis; ne ille pro se dictum existimet,
 Qui nuper fecit seruo currenti in via
 Deesse populum. Cur infano seruiat?
 De illius peccatis plura dicet, cum dabit
 Alias novas, nisi finem maledictis facit.
 Adeste æquo animo: date potestatem mihi,
 Statariam agere ut liceat per silentium:
 Ne semper seruus currens, iratus senex,
 Edax parasitus, sycophanta autem impudens,
 Avarus leno, assidue agendi sint seni
 Clamore fummo, cum labore maxumo.
 Mea causa, causam hanc justam esse, animum inducite,
 Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.
 Nam nunc novas qui scribunt, nihil parcunt seni.
 Si quæ laboriosa est, ad me curritur:
 Sin lenis est, ad alium defertur gregem.
 In hac est pura oratio. Experimenti,
 In utramque partem ingenium quid possit meum.
 Si nunquam avare pretium statui arti meæ,

Et

Et eum esse quæstum in animum induxi maxumum,
 Quam maxime fervire vestris commodis;
 Exemplum statuite in me, ut adolescentuli
 Vobis placere studeant potius, quam sibi.

A C T U S I. S C E N A I.

C H R E M E S, M E N E D E M U S.

Q U A N Q U A M hæc inter nos nuper notitia ad-
 modum est,
 Inde adeo quod agrum in proximo hic mercatus es,
 Nec rei fere sane amplius quidquam fuit:
 Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
 Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
 Facit, ut te audacter moneam et familiariter:
 Quod mihi videre præter ætatem tuam
 Facere, et præter quam res te adhortatur tua.
 Nam pro Deum atque hominum fidem! quid vis tibi?
 Quid quæris? annos sexaginta natus es,
 Aut plus eo, ut conjicio. Agrum in his regionibus
 Meliorem, neque pretii majoris, nemo habet:
 Servos complures. Proinde quasi nemo fiet,
 Attente tute illorum officia fungere.
 Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
 Domum revortor, quin te in fundo conspicer
 Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique:

R 2

Nullum

Nullum remittis tempus, neque te respicis.

Hæc non voluptati tibi esse, fatis certo scio.

At enim, me, quantum hic operis fiat, pœnitet.

Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,

Si fumas in illis exercendis, plus agas.

ME. Chreme, tantumne ab re tua est otii tibi,

Aliena ut cures, ea quæ nihil ad te attinent?

CH. Homo sum: humani nihil a me alienum puto.

Vel me monere hoc, vel percontari puta.

Rectum est? ego ut faciam: non est? te ut deterream.

ME. Mihi sic est usus: tibi ut opus est factò, face.

CH. An quoiquam est usus homini, se ut cruciet? *ME.*

Mihi.

CH. Si quid laboris est, nollem: sed quid istuc mali est?

Quæso quid de te tantum meruisti? *ME.* Eheu!

CH. Ne lacruma, atque istuc, quidquid est, fac me ut

sciam.

Ne retice: ne verere: crede, inquam, mihi,

Aut consolando, aut consilio, aut re, juvero.

ME. Scire hoc vis? *CH.* Hac quidem causa, qua dixi

tibi.

ME. Dicetur. *CH.* At istos rastros interea tamen

Appone, ne labora. *ME.* Minime. *CH.* Quam rem agis?

ME. Sine me, vacivom tempus ne quod dem mihi

Laboris. *CH.* Non finam, inquam. *ME.* Ah, non æ-

quom facis.

CH. Hui, tam graves hos, quæso? *ME.* Sic meritum est

meum. *CH.*

CH. Nunc loquere. *ME.* Filium unicum adolescentu-
lum

Habeo. Ah, quid dixi? habere me? imo habui, Chreme:

Nunc habeam necne, incertum est. *CH.* Quid ita if-

tuc? *ME.* Scies.

Est e Corintho hic advena anus paupercola.

Ejus filiam ille amare cœpit perditæ,

Prope jam ut pro uxore haberet. Hæc clam me omnia.

Ubi rem rescivi, cœpi non humanitus,

Neque ut animum decuit ægotum adolescentuli,

Tractare; sed vi, et via pervolgata patrum.

Quotidie accusabam: hem, tibine hæc diutius

Licere speras facere, me vivo patre,

Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?

Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia.

Ego te meum esse dici tantisper volo,

Dum, quod te dignum est, facies: sed si id non facis,

Ego, quod me in te fit facere dignum, invenero.

Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio.

Ego istuc ætatis non amoris operam dabam,

Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem, atque ibi

Simul rem et belli gloriam armis repperi.

Postremo adeo res rediit; adolescentulus

Sæpe eadem, et graviter audiendo, victus est.

Putavit me et ætate et benevolentia

Plus scire, et providere, quam seipsum sibi.

In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.

CH.

CH. Quid ais? *ME.* Clam me est profectus; menses tres abest.

CH. Ambo accusandi; etsi illud inceptum tamen Animi est prudentis signum, et non instrenui.

ME. Ubi comperi ex iis, qui fuere ei conscii,
Domum revortor mœstus, atque animo fere
Perturbato, atque incerto præ ægritudine.
Adfido; accurrunt servi; foccos detrahunt:
Video alios festinare, lectos sternere,
Cœnam apparare: pro se quisque sedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam.
Ubi video hæc, cœpi cogitare; hem, tot mei
Solius solliciti sunt causa, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me vestiant? sumtus domi
Tantos ego solus faciam? sed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea est;
Eum ego hinc ejeci miserum injustitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam. Nam usque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas injurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quærens, parcens, illi serviens.
Ita facio prorsus. Nihil relinquo in ædibus,
Nec vas, nec vestimentum: conrasi omnia.
Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile sumtum exercerent suum,

Omnes

Omnes produxi ac vendidi. Inscripti illico
Ædes mercede: quasi talenta ad quindecim
Coegi: agrum hunc mercatus sum: hic me exerceo.
Decrevi, tantisper me minus injuriæ,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser;
Nec fas esse ulla me voluptate hic frui,
Nisi ubi ille huc salvus redierit meus particeps.

CH. Ingenio te esse in liberos leni puto, et
Illum obsequentem, si quis recte aut commode
Tractaret. Verum neque tu illum satis noveras,
Nec te ille. Hoc ubi fit, ibi non vere vivitur.
Tu illum nunquam ostendisti quanti penderes,
Nec tibi ille est credere ausus quæ est æquom patri.
Quod si esset factum, hæc nunquam evenissent tibi.

ME. Ita res est, fateor: peccatum a me maxumum est.
CH. Menedeme, at porro recte spero: et illum tibi
Salvum adfuturum esse hic confido propediem.

ME. Utinam ita Dî faxint. *CH.* Facient. Nunc, si com-
modum est,
Dionysia hic sunt, hodie apud me sis volo.

ME. Non possum. *CH.* Cur non? quæso, tandem ali-
quantulum

Tibi parce: idem absens facere te hoc volt filius.

ME. Non convenit, qui illum ad laborem impellerim,
Nunc meipsum fugere. *CH.* Siccine est sententia?

ME. Sic. *CH.* Bene vale. *ME.* Et tu. *CH.* Lacrumas
excussit mihi,

Miseretque

Miseretque me ejus: sed, ut diei tempus est,
 Monere oportet me hunc vicinum Phanium,
 Ad cœnam ut veniat. Ibo, visam si domi est.
 Nihil opus fuit monitore: jamdudum domi
 Præsto apud me esse aiunt: egomet convivas moror.
 Ibo adeo hinc intro. Sed quid crepuerunt fores
 Hinc a me? quisnam egreditur? huc concessero.

A C T U S I. S C E N A II.

CLITIPHO, CHREMES,

NIHIL adhuc est, quod vereare, Clinia: haud-
 quaquam etiam cessant:

Et illam simul cum nuntio tibi hic ego adfuturam ho-
 die, scio.

Proin tu sollicitudinem istam falsam, quæ te excruciat,
 mittas.

CH. Quicum loquitur filius?

CL. Pater adest, quem volui: adibo. Pater, opportune
 advenis.

CH. Quid id est? *CL.* Hunc Menedemum nostin'
 nostrum vicinum? *CH.* Probe.

CL. Huic filium scis esse? *CH.* Audivi esse, in Asia.

CL. Non est, pater:

Apud nos est. *CH.* Quid ais? *CL.* Advenientem, e navi
 egredientem, illico

Abduxi

Abduxi ad cœnam: nam mihi magna cum eo jam inde
 usque a pueritia

Fuit semper familiaritas. *CH.* Voluptatem magnam
 nuntias.

Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum
 hodie esset amplius,

Ut hanc lætitiâ nec opinanti primus objicerem ei
 domi!

Atque etiam nunc tempus est. *CL.* Cave faxis; Non
 opus est, pater.

CH. Quapropter? *CL.* Quia enim incertum est etiam,
 quid se faciat. Modo venit:

Timet omnia; patris iram, atque animum amicæ, se
 erga ut sit, suæ.

Eam misere amat: propter eam hæc turba atque abi-
 tio evenit. *CH.* Scio.

CL. Nunc fervolum ad eam in urbem misit, et ego
 nostrum una Syrum.

CH. Quid narrat? *CL.* Quid ille? se miserum esse.

CH. Miserum? quem minus credere est?

Quid relliqui est, quin habeat, quæ quidem in homi-
 ne dicuntur bona?

Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cogna-
 tos, divitias?

Atque hæc perinde sunt, ut illius animus est, qui ea
 possidet:

Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.

S

CL.

CL. Imo ille fenex fuit importunus semper: et nunc nihil magis

Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit pater.

CH. Illene? sed reprimam me: nam, in metu esse hunc, illi est utile.

CL. Quid tute tecum? CH. Dicam. Ut ut erat, mansum tamen oportuit.

Fortasse aliquanto iniquior erat præter ejus lubidinem: Pateretur. Nam quem ferret, si parentem non ferret suum?

Huncine erat æquom ex illius more, an illum ex hujus vivere?

Et quod illum infimulat durum, id non est. Nam parentum injuriæ

Uniusmodi sunt ferme; paulo qui est homo tolerabilis. Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier, Præbent exigue sumtum: atque hæc sunt tamen ad virtutem omnia.

Verum animus ubi semel se cupiditate devinxit mala, Necessè est, Clitipho, consilia consequi confimilia. Hoc Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu fiet.

CL. Ita credo. CH. Ego ibo hinc intro, ut videam, nobis quid cœnæ fiet.

Tu, ut tempus est diei, vide fis, ne quo hinc abeas longius.

ACTUS

ACTUS I. SCENA III.

CLITIPHO.

QUAM iniqui sunt patres in omnes adolescentes judices!

Qui æquom esse censent, nos jam a pueris illico nasci fenes,

Neque illarum affines esse rerum, quas fert adolescentia. Ex sua libidine moderantur, nunc quæ est, non quæ olim fuit.

Mihi si unquam filius erit, næ ille facili me utetur patre: Nam et cognoscendi, et ignoscendi dabitur peccati locus:

Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.

Perii! is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinora?

Nunc ait, periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu fiet. Astutus! næ ille haud scit, quam mihi nunc furdo narret fabulam.

Magis nunc me amicæ dicta stimulant, da mihi, atque affer mihi:

Cui quid respondeam, nihil habeo: neque me quisquam est miserior.

Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum fatagit, attamen

S 2

Habet

Habet bene ac pudice educatam, ignaram artis meretriciæ.

Mea est potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis. Tum, quod dem ei, recte est: nam nihil esse mihi, religio est dicere.

Hoc ego mali non pridem inveni: neque etiamdum scit pater.

A C T U S II. S C E N A I.

C L I N I A, C L I T I P H O.

SI mihi secundæ res de amore meo essent, jamdudum, scio,

Venissent: sed vereor, ne mulier, me absente, hic corrupta fit.

Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exangeant;

Occasio, locus, ætas, mater, cujus sub imperio est, mala; Cui nihil præter pretium jam dulce est. *CLIT.* Clinia. *CLIN.* Hei misero mihi!

CLIT. Etiam caves, ne videat forte hinc te apatre aliquis exiens?

CLIN. Faciam. Sed nescio quid profecto mihi animus præfagit mali.

CLIT. Pergin' istuc prius dijudicare, quam fcis, quid veri fiet?

CLIN.

CLIN. Si nihil mali effet, jam hic adessent. *CLIT.*

Jam aderunt. *CLIN.* Quando istuc erit?

CLIT. Non cogitas hinc longule esse? et nosti mores mulierum:

Dum moliuntur, dum conantur, annus est. *CLIN.* O Clitipho,

Timeo. *CLIT.* Respira: eccum Dromonem cum Syro, una adfunt tibi.

A C T U S II. S C E N A II.

S Y R U S, D R O M O, C L I T I P H O,
C L I N I A.

AIN' tu? *DR.* Sic est. *SY.* Verum interea dum sermones cædimus,

Illæ sunt relictæ. *CLIT.* Mulier tibi adest, audin' Clinia?

CLIN. Ego vero audio nunc demum, et video, et valeo, Clitipho.

DR. Minime mirum, adeo impeditæ sunt: ancillarum gregem

Ducunt secum. *CLIN.* Perii! unde illi sunt ancillæ?

CLIT. Men' rogas?

SY. Non oportuit relictas; portant quid rerum. *CLIN.* Hei mihi!

SY. Aurum, vestem: et vesperscit, et non noverunt viam.

Factum

Factum a nobis stulte est. Abi dum tu, Dromo, illis obviam.

Propera. Quid stas? *CLIN.* Væ misero mihi, quanta de spe decidi!

CLIT. Quid istuc? quæ res te folicitat autem? *CLIN.* Rogitas quid fiet?

Viden' tu ancillas, aurum, vestem? quam ego cum una ancillula

Hic reliqui. Unde esse censes? *CLIT.* Vah, nunc demum intelligo.

SY. Di boni, quid turbæ est? ædes nostræ vix capient, scio.

Quid comedent? quid ebibent? quid sene erit nostro miserius?

Sed video, eccos, quos volebam. *CLIN.* O Jupiter, ubinam est fides?

Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci

Conlocupletasti, Antiphila, te, et me in his deseruisti malis,

Propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus obsequens:

Cujus nunc pudet me, et miseret, qui harum mores cantabat mihi,

Monuisse frustra; neque potuisse eum unquam me ab hac expellere.

Quod tamen nunc faciam: tum, cum mihi gratum esse potuit, nolui. Nemo

Nemo est inferior me. *SY.* Hic de nostris verbis errat videlicet,

Quæ hic sumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque est, accipis.

Nam et vita est eadem, et animus te erga idem ac fuit; Quantum ex ipsa re conjecturam cepimus.

CLIN. Quid est obsecro? nam mihi nunc nihil rerum omnium est

Quod malim, quam me hoc falso suspicariet.

SY. Hoc primum, ut ne quid hujus rerum ignores: anus,

Quæ est dicta mater esse ei antehac, non fuit:

Ea obiit mortem. Hæc ipsa in itinere alteræ

Dum narrat, forte audivi. *CLIN.* Quænam est altera?

SY. Mane; hoc, quod cœpi, primum enarrem, Clitipho:

Post istuc veniam. *CLIN.* Propera. *SY.* Jam primum omnium,

Ubi ventum ad ædes est, Dromo pultat fores:

Anus quædam prodit: hæc ubi aperuit ostium,

Continuo hic se conjecit intro: ego consequor:

Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit.

Hic sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,

Quo studio vitam suam te absente exegerit;

Ubi de improvise est interventum mulieri.

Nam ea res dedit tum existumandi copiam

Quotidianæ

Quotidianæ vitæ consuetudinem;
 Quæ, cujusque ingenium ut fit, declarat maxume.
 Textentem telam studiose ipsam offendimus,
 Mediocriter vestitam veste lugubri,
 Ejus anuis causa, opinor, quæ erat mortua,
 Sine auro tum ornatam, ita uti quæ ornantur fibi,
 Nulla mala re esse expolitam muliebri:
 Capillus passus, prolixus, circum caput
 Rejectus negligenter. Pax! *CLIN.* Syre mi, obsecro,
 Ne me in lætitiâ frustra conjicias. *SY.* Anus
 Subtemen nebat: præterea una ancillula
 Erat: ea texebat una, pannis obsita,
 Neglecta, immunda inlucie. *CLIT.* Si hæc sunt, Clinia,
 Vera, ita uti credo, quis te est fortunatior?
 Scin' tu hanc, quam dicit fordidatam et fordidam?
 Magnum hoc quoque signum est, dominam esse extra
 noxiam,
 Cum ejus tam negliguntur internuntii:
 Nam disciplina est eisdem, munerarier
 Ancillas primum, ad dominas qui adfectant viam.
CLIN. Perge, obsecro te, et cave ne falsam gratiam
 Studeas inire. Quid ait, ubi me nominas?
SY. Ubi dicimus rediisse te, et rogare uti
 Veniret ad te, mulier telam definit
 Continuo, et lacrumis opplet os totum fibi, ut
 Facile scires desiderio id fieri tuo.
CLIN. Præ gaudio, ita me Dii ament, ubi sim nescio:

Ita

Ita timui. *CLIT.* At ego nihil esse sciebam, Clinia.
 Agedum vicissim, Syre, dic quæ illa est altera.
SY. Adducimus tuam Bacchidem. *CLIT.* Hem! quid?
 Bacchidem?
 Eho, sceleste, quo illam ducis? *SY.* Quo ego illam? ad
 nos scilicet.
CLIT. Ad patremne? *SY.* Ad eum ipsum. *CLIT.* O
 hominis impudentem audaciam!
SY. Heus tu, non fit sine periculo facinus magnum et
 memorabile.
CLIT. Hoc vide: in mea vita tu tibi laudem is quæ-
 situm, scelus:
 Ubi si paululum modo quid te fugerit, ego perierim.
 Quid illo facias? *SY.* At enim. *CLIT.* Quid enim?
SY. Si finas, dicam. *CLIN.* Sine.
CLIT. Sino. *SY.* Ita res est hæc nunc, quasi cum—
CLIT. Quas, malum, ambages mihi
 Narrare occipit? *CLIN.* Syre, verum hic dicit, mitte;
 ad rem redi.
SY. Enimvero reticere nequeo. Multimodis injurius,
 Clitipho, es, neque ferri potis es. *CLIN.* Audiendum
 hercle est, tace.
SY. Vis amare, vis potiri, vis quod des illi effici.
 Tuum esse in potiundo periculum non vis. Haud stulte
 sapis;
 Siquidem id sapere est, velle te id, quod non potest
 contingere.

T

Aut

Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his mit-
tenda sunt.

Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide.
Etsi hoc consilium, quod cepi, rectum esse et tutum scio:
Nam apud patrem tua amica tecum sine metu ut fit, co-
pia est.

Tum quod illi argentum es pollicitus, eadem hac in-
veniam via;

Quod ut efficerem, orando furdas jam aures reddide-
ras mihi.

Quid aliud tibi vis? *CLIT.* Siquidem hoc fit. *SY.* Si-
quidem? experiundo scies.

CLIT. Age age, cedo istuc tuum consilium, quid id
est? *SY.* Adsimulabimus

Tuam amicam hujus esse. *CLIT.* Pulchre. Cedo quid
hic faciet sua?

An ea quoque dicetur hujus, si una hæc dedecori est
parum?

SY. Imo ad tuam matrem abducetur. *CLIT.* Quid
eo? *SY.* Longum est, Clitipho,

Tibi si narrem, quamobrem id faciam: vera causa est.
CLIT. Fabulæ:

Nihil satis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi
expediat metum.

SY. Mane. Habeo aliud, si istuc metuis, quod ambo
confiteamini

Sine periculo esse. *CLIT.* Hujusmodi, obsecro, aliquid
reperi. *SY.* Maxume: Ibo

Ibo obviam hinc: dicam, ut revortantur domum.

CLIT. Hem,

Quid dixti? *SY.* Ademtum tibi jam faxo omnem me-
tum,

In aurem utramvis otiose ut dormias.

CLIT. Quid ago nunc? *CLIN.* Tune? quod boni
est. *CLIT.* Syre, dic modo

Verum. *SY.* Age modo, hodie fero, ac nequicquam
voles.

CLIN. Datur: fruare dum licet: nam nescias,
Ejus fit potestas posthac, an nunquam tibi.

CLIT. Syre, inquam. *SY.* Perge porro, tamen istuc
ago.

CLIT. Verum hercle istuc est. Syre, Syre inquam,
heus heus Syre.

SY. Concaluit. Quid vis? *CLIT.* Redi, redi. *SY.* Ad-
fum; dic, quid est?

Jam hoc quoque negabis tibi placere. *CLIT.* Imo,
Syre,

Et me, et meum amorem, et famam permitto tibi.

Tu es judex: ne quid accusandus sis, vide.

SY. Ridiculum est, te istuc me admonere, Clitipho:
Quasi istic minor mea res agatur, quam tua.

Hic si quid nobis forte advorfi evenerit,

Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.

Quapropter hæc res neutiquam neglectui est mihi.

Sed istunc exora, ut suam esse adsimulet. *CLIN.* Sci-
licet

Facturum me esse; in eum jam res rediit locum,
 Ut fit necesse. *CLIT.* Merito te amo, Clinia.
CLIN. Verum illa ne quid titubet. *SY.* Perdocta est
 probe.

CLIT. At hoc demiror, qui tam facile potueris
 Perfuadere illi, quæ solet quos spernere!
SY. In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est
 Primum. Nam quendam misere offendi ibi militem
 Ejus noctem orantem. Hæc arte tractabat virum,
 Ut illius animum cupidum inopia incenderet,
 Eademque ut esset apud te quam gratissima.
 Sed heus tu, vide fis, ne quid imprudens ruas.
 Patrem novisti, ad has res quam sit perspicax:
 Ego te autem novi, quam esse soleas impotens.
 Inversa verba, everfas cervices tuas,
 Gemitus, screatus, tuffis, rifus, abstine.

CLIT. Laudabis. *SY.* Vide fis. *CLIT.* Tutemet mi-
 rabere.

SY. Sed quam cito sunt consecutæ mulieres?

CLIT. Ubi sunt? cur retines? *SY.* Jam nunc hæc non
 est tua.

CLIT. Scio, apud patrem; at nunc interim. *SY.* Ni-
 hilo magis.

CLIT. Sine. *SY.* Non finam, inquam. *CLIT.* Quæ-
 so, paulisper. *SY.* Veto.

CLIT. Saltem salutare. *SY.* Abeas, si sapias. *CLIT.*
 Eo.

Quid

Quid istic? *SY.* Manebit. *CLIT.* O hominem feli-
 cem! *SY.* Ambula.

ACTUS II. SCENA III.

BACCHIS, ANTIPHILA, CLINIA,
 SYRUS.

EDEPOL te, mea Antiphila, laudo et fortunatam
 judico,
 Id cum studuisti, isti formæ ut mores confirmiles forent:
 Minimeque, ita me Dii ament, miror, si te fibi quisque
 expetit.

Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
 Et cum egomet nunc mecum in animo vitam tuam con-
 fidero,

Omniumque adeo vostrarum, volgus quæ ab se segre-
 gant;

Et vos esse istiusmodi, et nos non esse, haud mirabile est.
 Nam expedit bonas esse vobis: nos, quibuscum est res,
 non finunt.

Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt:

Hæc ubi imminuta est, illi suum animum alio confe-
 runt.

Nisi prospectum interea aliquid nobis est, desertæ vi-
 vimus.

Vobis cum uno semel ubi ætatem agere decretum est
 viro,

Cujus

Cujus mos maxume est confimilis vostrum; hi se ad vos applicant:

Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini;
Ut nunquam ulla amori vostro incidere possit calamitas.

AN. Nescio alias: me quidem semper scio fecisse sedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum.

CL. Ah,

Ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis.

Nam, dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves,

Præterquam tui carendum quod erat. *SY.* Credo. *CL.* Syre, vix suffero.

Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui?

SY. Imo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit.

BA. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos?

AN. Ah, retine me, obsecro.

BA. Amabo, quid tibi est? *AN.* Disperii. *BA.* Perii misera! quid stupes,

Antiphila? *AN.* Videon' Cliniam, an non? *BA.* Quem vides? *CL.* Salve, anime mi.

AN. O mi exspectate Clinia, salve. *CL.* Ut vales?

AN. Salvom advenisse gaudeo. *CL.* Teneone te,

Antiphila, maxume animo exoptatam meo?

SY. Ite intro: nam vos jamdudum exspectat senex.

ACTUS

ACTUS III. SCENA I.

CHREMES, MENEDEMUS.

LUCISCIT hoc jam. Cesso pultare ostium

Vicini, primum ex me ut sciat, sibi filium

Rediisse? et si adolescentem hoc nolle intelligo.

Verum, cum videam miserum hunc tam excruciarier

Ejus habitu, celem tam insperatum gaudium,

Cum illi periculi nihil ex indicio fiet?

Haud faciam: nam, quod potero, adjutabo senem,

Item ut filium meum amico atque æquali suo

Video inservire, et socium esse in negotiis,

Nos quoque senes est æquom senibus obsequi.

ME. Aut ego profecto ingenio egregio ad misérias

Natus sum, aut illud falsum est, quod volgo audio

Dici, diem adimere ægritudinem hominibus.

Nam mihi quidem quotidie augetur magis

De filio ægritudo; et quanto diutius

Abest, magis cupio tanto, et magis desidero.

CH. Sed ipsum foras egressum video: ibo, adloquar.

Menedeme, salve: nuntium adporto tibi,

Cujus maxume te fieri participem cupis.

ME. Numquidnam de gnato meo audisti, Chreme?

CH. Valet, atque vivit. *ME.* Ubinam est, quæso? *CH.*

Apud me domi.

ME.

ME. Meus gnatus? *CH.* Sic est. *ME.* Venit? *CH.* Certe.
ME. Clinia

Meus venit? *CH.* Dixi. *ME.* Eamus, duc me ad eum,
obsecro.

CH. Non volt te scire se redisse etiam, et tuum
Conspectum fugitat, propter peccatum. Tum hoc timet,
Ne tua duritia antiqua illa etiam adaucta sit.

ME. Non tu ei dixisti, ut essem? *CH.* Non. *ME.* Quam-
obrem, Chreme?

CH. Quia pessume istuc in te atque in illum consulis,
Si te tam leni et victo esse animo ostenderis.

ME. Non possum: fatis jam, fatis pater durus fui.

CH. Ah,

Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parcimonia.

In eandem fraudem ex hac re, atque ex illa, incidet.

Primum olim potius, quam paterere filium

Commeare ad mulierculam, quæ paululo

Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,

Proterruisti hinc. Ea coacta ingratiis

Postilla cœpit victum volgo quærere.

Nunc, cum sine magno intertrimento non potest

Haberi, quidvis dare cupis. Nam, ut tu scias,

Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem fiet;

Primum, jam ancillas secum adduxit plus decem,

Oneratas veste atque auro. Satrapes si fiet

Amator, nunquam sufferre ejus sumtus queat:

Nedum

Nedum tu possis. *ME.* Estne ea intus? *CH.* Sit, rogas?

Sensi: nam unam ei cœnam atque ejus comitibus

Dedi. Quod si iterum mihi sit danda, actum fiet.

Nam, ut alia omittam, pytiffando modo mihi

Quid vini absumpsit? sic hoc, dicens; asperum,

Pater, hoc est: aliud lenius fodes vide.

Relevi dolia omnia, omnes ferias:

Omnes habui sollicitos. Atque hæc una nox.

Quid te futurum censes, quem assidue exedent?

Sic me Dii amabunt, ut me tuarum miseritum est,

Menedeme, fortunarum! *ME.* Faciat quod lubet:

Sumat, consumat, perdat: decretum est pati;

Dum illum modo habeam mecum. *CH.* Si certum est

tibi

Sic facere, illud permagni referre arbitror,

Ut nescientem sentiat te id sibi dare.

ME. Quid faciam? *CH.* Quidvis potius, quam quod

cogitas:

Per alium quemvis ut des, falli te finas

Technis per fervolum. Etsi subsensi id quoque,

Illos ibi esse, id agere inter se clanculum.

Syrus cum illo vostro confufurrat: conferunt

Confilia adolescentes: et tibi perdere

Talentum hoc pacto fatius est, quam illo minam.

Non nunc pecunia agitur; sed illud, quomodo

Minimo periclo id demus adolescentulo.

Nam si semel tuum animum ille intellexerit,

U

Prius

Prius proditurum te tuam vitam, et prius
 Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium; hui,
 Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!
 Tibi autem porro ut non sit suave vivere:
 Nam deteriores fumus omnes licentia.
 Quodcunque inciderit in mentem, volet: neque id
 Putabit, pravumne an rectum fit, quod petet.
 Tu, rem perire, et ipsum, non poteris pati.
 Dare denegaris; ibit ad illud illico,
 Quo maxime apud te se valere sentiet:
 Abiturum se abs te esse illico minabitur.
ME. Videre verum, atque ita uti res est, dicere.
CH. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
 Dum id quæro, tibi qui filium restituerem. [*Chreme.*
ME. Cedo dextram: porro te oro idem ut facias,
CH. Paratus sum. *ME.* Scin' quid nunc facere te volo?
CH. Dic. *ME.* Quod sensisti illos me incipere fallere,
 Id ut maturent facere. Cupio illi dare,
 Quod volt: cupio ipsum jam videre. *CH.* Operam dabo.
 Syrus estprehendus atque adhortandus mihi.
 A me nescio quis exit. Concede hinc domum,
 Ne nos inter nos congruere sentiant:
 Paulum hoc negoti mihi obstat: Simus et Crito
 Vicini nostri hic, ambigunt de finibus:
 Me cepere arbitrum. Ibo, ac dicam, ut dixeram
 Operam daturum me, hodie non posse his dare.
 Continuo hic adero. *ME.* Ita quæso. Dii vestram fidem!

Itan'

Itan' comparatam esse hominum naturam omnium,
 Aliena ut melius videant et dijudicent
 Quam sua? an eo fit, quia in re nostra aut gaudio
 Sumus præpediti nimio, aut ægritudine?
 Hic mihi nunc quanto plus sapit, quam egomet mihi!
CH. Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem.

A C T U S III. S C E N A II.

S Y R U S , C H R E M E S .

HAC illac circumcurfa: inveniundum est tamen
 Argentum, intendenda in fenem est fallacia.
CH. Num me fefellit, hocce id struere? videlicet
 Ille Clinixæ servus tardiusculus est:
 Idcirco huic nostro tradita est provincia.
SY. Quis hic loquitur? perii! numnam hæc audivit?
CH. Syre. *SY.* Hem.
CH. Quid tu istic? *SY.* Recte equidem: sed te miror,
 Chreme,
 Tam mane, qui heri tantum biberis. *CH.* Nihil nimis.
SY. Nihil, narras? Vifa vero est, quod dici solet,
 Aquilæ senectus. *CH.* Heia. *SY.* Mulier commoda et
 Faceta hæc meretrix. *CH.* Sane idem vifa est mihi.
SY. Et quidem hercle forma luculenta. *CH.* Sic fatis.
SY. Ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona:

U 2

Mini-

Minimeque miror, Clinia hanc si deperit.
Sed habet patrem quendam avidum, miserum atque
aridum,

Vicinum hunc: nostin' at quasi is non divitiis
Abundet, gnatus ejus profugit inopia.
Scis esse factum, ut dico? *CH.* Quid ego nesciam?
Hominem pistrino dignum! *SY.* Quem? *CH.* Istunc
fervolum

Dico adolescentis. *SY.* Syre, tibi timui male.
CH. Qui passus est id fieri. *SY.* Quid faceret? *CH.* Rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Unde esset adolescenti, amicæ quod daret,
Atque hunc difficilem invitum fervaret fenem.
SY. Garris. *CH.* Hæc facta ab illo oportebant, Syre.
SY. Eho, quæso, laudas qui heros fallunt? *CH.* In loco,
Ego vero laudo. *SY.* Recte sane. *CH.* Quippe qui
Magnarum sæpe id remedium ægritudinum est.
Jam huic mansisset unicus gnatus domi.

SY. Jocone an ferio illæc dicat, nescio:
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.
CH. Et nunc quid expectat, Syre? an dum hinc denuo
Abeat, cum tolerare hujus sumtus non queat?
Nonne ad fenem aliquam fabricam fingit? *SY.* Stolidus
est.

CH. At te adjutare oportet adolescentuli
Causa. *SY.* Facile equidem facere possum, si jubes:
Etenim, quo pacto id fieri soleat, calleo.

CH.

CH. Tanto hercle melior. *SY.* Non est mentiri meum.
CH. Fac ergo. *SY.* At heus tu, facito, dum eadem hæc
memineris,

Si quid hujus simile forte aliquando evenerit,
Ut sunt humana, tuus ut faciat filius.

CH. Non usus veniet, spero. *SY.* Spero hercle ego
quoque.

Neque eo nunc dico, quo quidquam illum senserim:
Sed si quid, ne quid—quæ sit ejus ætas, vides.
Et næ ego te, si usus veniat, magnifice, Chreme,
Tractare possim. *CH.* De istoc, cum usus venerit,
Videbimus quid opus sit. Nunc istuc age.

SY. Nunquam commodius unquam herum audivi loqui:
Nec, cum malefacerem, crederem mi impunius
Licere. Quisnam a nobis egreditur foras?

A C T U S III. S C E N A III.

CHREMES, CLITIPHO, SYRUS.

QUID istuc, quæso? qui istic mos est, Clitipho?
Itane fieri oportet?

CL. Quid ego feci? *CH.* Vidin' ego te modo manum
in sinum huic meretrici

Inferere? *SY.* Acta hæc res est, perii. *CL.* Mene? *CH.*
Hisce oculis: ne nega.

Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abstineas ma-
num: Nam

Nam ista quidem contumelia est,
Hominem amicum recipere ad te, atque ejus amicam
subagitare.

Vel heri in vino quam immodestus fuisti? *SY.* Factum.
CH. Quam molestus!

Ut equidem, ita me Dii ament, metui quid futurum
denique effret!

Novi ego amantium animum: advortunt graviter, quæ
non censeas.

CL. At mihi fides apud hunc est, nihil me istius fac-
tutum, pater.

CH. Esto. At certe concedas aliquo ab ore eorum ali-
quantisper.

Multa fert libido; ea facere prohibet tua præsentia.

Ego de me facio conjecturam. Nemo est meorum hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho,
audeam, [pudet,

Apud alium prohibet dignitas: apud alium ipsius facti
Ne ineptus, ne protervus videar: quod illum facere
credito.

Sed nostrum est intelligere, utcunque, atque ubicun-
que opus fit, obsequi.

SY. Quid istic narrat? *CL.* Perii! *SY.* Clitipho, hæc
ego præcipio tibi,

Hominis frugi et temperantis functus officium. *CL.*
Tace fodes.

SY. Recte fane. *CH.* Syre, pudet me. *SY.* Credo; ne-
que id injuria. Quin

Quin mihi molestum est. *CL.* Pergin' hercle? *SY.* Ve-
rum dico quod videtur.

CL. Nonne accedam ad illos? *CH.* Eho quæso, una
accedundi via est?

SY. Actum est. Hic prius se indicarit, quam ego ar-
gentum effecero.

Chreme, vin' tu homini stulto mihi auscultare? *CH.*
Quid faciam? *SY.* Jube hunc

Abire hinc aliquo. *CL.* Quo ego hinc abeam? *SY.* Quo?
quo lubet: da illis locum:

Abi deambulatum. *CL.* Deambulatum! quo? *SY.* Vah,
quasi desit locus.

Abi fane istac, istorsum, quo vis. *CH.* Recte dicit. Cen-
seo.

CL. Dî te eradicent, Syre, qui me hinc extrudas. *SY.*
At tu pol tibi istas

Posthac comprimito manus.

Censen' vero? quid illum porro credis facturum, Chreme,
Nisi eum, quantum tibi opis Dii dant, servas, castigas,
mones?

CH. Ego istuc curabo. *SY.* Atqui nunc, here, hic tibi
adservandus est.

CH. Fiet. *SY.* Si sapias; nam mihi jam minus minus-
que obtemperat.

CH. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi,
egisti Syre? aut

Reperisti quod placeat, an nondum etiam? *SY.* De fal-
lacia Dicis?

Dicis? ft! inveni quandam nuper. *CH.* Frugi es. Cedo quid id est?

SY. Dicam: verum, ut aliud ex alio incidit. *CH.* Quidnam, Syre?

SY. Pessuma hæc est meretrix. *CH.* Ita videtur. *SY.* Imo si scias——

Hoc vide, quod inceptet facinus. Fuit quædam anus Corinthia

Hic. Huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuum,

CH. Quid tum? *SY.* Ea mortua est. Reliquit filiam adolescentulam:

Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento. *CH.* Intelligo.

SY. Hanc secum huc adduxit, eaque est nunc ad uxorem tuam.

CH. Quid tum? *SY.* Cliniam orat, fibi uti id nunc det: illam illi tamen

Post daturam. Mille nummum poscit. *CH.* Et poscit Quidem! *SY.* Hui!

Dubiumne id est? *CH.* Ego sic putavi. Quid nunc facere cogitas?

SY. Egone? ad Menedemum ibo: dicam hanc esse captam e Caria,

Ditem et nobilem: si redimat, magnum inesse in ea lucrum.

CH. Erras. *SY.* Quid ita? *CH.* Pro Menedemo ego nunc tibi respondeo: Non

Non emo. Quid agis? *SY.* Optata loquere. *CH.* Atqui non est opus.

SY. Non opus est? *CH.* Non hercle vero. *SY.* Qui istuc? miror. *CH.* Jam scies.

Mane, mane: quid est, quod tam a nobis graviter crepuerunt fores?

A C T U S III. S C E N A IV.

S O S T R A T A, C H R E M E S, N U T R I X,
S Y R U S.

NISI me animus fallit, hic profecto est annulus, quem ego suspicor;

Is, quicum exposita est gnata. *CH.* Quid volt tibi, Syre, hæc oratio?

SO. Quid est? isne tibi videtur? *NU.* Dixi equidem, ubi mihi ostendisti, illico,

Eum esse. *SO.* At ut fatis contemplata modo fis, mea nutrix. *NU.* Satis.

SO. Abi nunc jam intro, atque, illa si jam laverit, mihi nuntia.

Hic ego virum interea opperibor. *SY.* Te volt: videas, quid velit.

Nescio quid tristis est. Non temere est. Metuo quid fit.

CH. Quid fiet?

Næ ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit. X *SO.*

SO. Ehem, mi vir. *CH.* Ehem, mea uxor. *SO.* Te ipsum quæro. *CH.* Loquere quid velis.

SO. Primum hoc te oro, ne quid credas me advorsum edictum tuum

Facere esse ausam. *CH.* Vis me istuc tibi, etsi incredibile est, credere?

Credo. *SY.* Nescio quid peccati portat hæc purgatio.

SO. Meministin' me esse gravidam, et mihi te maximo opere dicere,

Si puellam parerem, nolle tolli? *CH.* Scio quid feceris: Sustulisti. *SY.* Sic est factum, domina; ergo herus damno auctus est.

SO. Minime: sed erat hic Corinthia anus haud impura: ei dedi

Exponendam. *CH.* O Jupiter! tantamne esse in animo infcitiam!

SO. Perii! quid ego feci? *CH.* At rogitas? *SO.* Si peccavi, mi Chreme,

Infciens feci. *CH.* Id quidem ego, etsi tu neges, certo scio,

Te infcientem atque imprudentem dicere ac facere omnia:

Tot peccata in hac re ostendis. Nam jam primum, si meum

Imperium exsequi voluisses, interemtam oportuit;

Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitæ dare.

At id omitto: misericordia, animus maternus: fino.

Quam

Quam bene vero abs te prospectum est! quid voluisti? cogita.

Nempe anui illi prodita abs te filia est planiffume, Per te vel uti quæstum faceret, vel uti veniret palam. Credo id cogitasti: quidvis fatis est, dum vivat modo. Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum atque æquom sciunt,

Melius, pejus, profit, obfit, nil vident, nisi quod lubet? *SO.* Mi Chreme, peccavi, fateor: vincor. Nunc hoc te obsecro,

Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior; Ut meæ stultitiæ in justitia tua sit aliquid præfidi.

CH. Scilicet equidem istuc factum ignoscam: verum, Solstrata,

Maledocet te mea facilitas multa. Sed istuc quidquid est, Qua hoc occeptum est causa, loquere. *SO.* Ut stultæ et miseræ omnes fumus

Religiosæ; cum exponendam do illi, de digito annulum Detraho; et eum dico ut una cum puella exponeret; Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.

CH. Istuc recte: conservasti te, atque illam. *SO.* Is hic est annulus.

CH. Unde habes? *SO.* Quam Bacchis secum adduxit adolescentulam. *SY.* Hem.

CH. Quid ea narrat? *SO.* Ea, lavatum dum it, servandum mihi dedit.

Animum non advorti primum: sed postquam aspexi, illico

Cognovi: ad te exfilui. *CH.* Quid nunc suspicare, aut invenis

De illa? *SO.* Nescio, nisi ex ipsa quæras, unde hunc habuerit,

Si potis est reperiri. *SY.* Interii: plus spei video, quam volo.

Nostra est, si ita est. *CH.* Vivitne illa, cui tu dederas? *SO.* Nescio.

CH. Quid renuntiavit olim fecisse? *SO.* Id, quod iufferam.

CH. Nomen mulieris cedo quod fit, ut quæratur. *SO.* Philtere.

SY. Ipsa est. Mirum, ni illa salva est, et ego perii.

CH. Sofrata,

Sequere me intro hac. *SO.* Ut præter spem evenit! quam timui male,

Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollendo, Chreme!

CH. Non licet hominem esse sæpe ita ut volt, si res non finit.

Nunc ita tempus est mihi, ut cupiam filiam: olim nil minus.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA I.

SYRUS.

NISI me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium:

Ita hac re in angustum oppido nunc meæ coguntur copiae:

Nisi aliquid video, ne esse amicam hanc gnati resciscat fenex.

Nam quod de argento sperem, aut posse postulem me fallere,

Nihil est: triumpho, si licet me latere tecto abscedere.

Crucior, bolum tantum mihi esse ereptum tam subito e faucibus.

Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda est mihi.

Nil tam difficile est, quin quærendo investigari possiet.

Quid, si hoc sic nunc incipiam? nihil est. Quid si sic? tantundem egero.

At sic opinor: non potest: immo optume. Euge, habeo optumam.

Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum tamen.

ACTUS

A C T U S I V . S C E N A I I .

C L I N I A , S Y R U S .

NULLA mihi res posthac potest jam intervenire
tanta,
Quæ mihi ægritudinem adferat: tanta hæc lætitia oborta
est.

Dedo patri me nunc jam, ut frugalior sim quam volt.
SY. Nil me fefellit: cognita est, quantum audio hujus
verba.

Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor.

CL. O mi Syre, audistin' obsecro? SY. Quidni? qui
usque una adfuerim.

CL. Cui æque audisti commode quidquam evenisse?
SY. Nulli.

CL. Atque ita me Dii ament, ut ego nunc non tam me-
apte causa

Lætor, quam illius; quam ego scio esse honore quovis
dignam.

SY. Ita credo: sed nunc, Clinia, age, da te mihi vi-
cissim:

Nam amici quoque res est videnda, in tuto ut conlo-
cetur,

Ne quid de amica nunc senex. CL. O Jupiter! SY.
Quiesce.

CL.

CL. Antiphila mea nubet mihi! SY. Siccine me inter-
loquere?

CL. Quid faciam, mi Syre? gaudeo: fer me. SY. Fero
hercle vero.

CL. Deorum vitam adepti fumus. SY. Frustra operam,
opinor, fumo.

CL. Loquere, audio. SY. At jam hoc non ages. CL.
Agam. SY. Videndum est, inquam,

Amici quoque res, Clinia, tui in tuto ut conlocetur:
Nam si nunc a nobis abis, et Bacchidem hic relinquis,
Senex resciscet illico esse amicam hanc Clitiphonis:
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc est.

CL. At enim istoc nihil est magis, Syre, meis nuptiis
advorsum:

Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam?
SY. Quidni?

CL. Quid dicam? quam causam adferam? SY. Quid?
nolo mentiare:

Aperte, ita ut res sese habet, narrato. CL. Quid ais?
SY. Jubeo,

Illam te amare et velle uxorem; hanc esse Clitiphonis.

CL. Bonam atque justam rem oppido imperas, et factu
facilem.

Et scilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet
Senem vostrum. SY. Imo ut recta via rem narret or-
dine omnem. CL. Hem,

Satin' sanus es aut sobrius? tu quidem illum plane
prodis: Nam

Nam qui ille poterit esse in tuto, dic mihi?

SY. Huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice effero,

Qui vim tantam in me et potestatem habeam tantæ astutiæ,

Vera dicendo ut eos ambos fallam: ut cum narret fenex Voster nostro, esse istam amicam gnati, non credat tamen.

CL. At enim spem istoc pacto rursus nuptiarum omnem eripis:

Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam.

Tu fortasse, quid me fiat, parvi pendis, dum illi confulas.

SY. Quid, malum, me ætatem censes velle id adfamiliarier?

Unus est dies, dum argentum eripio: pax! nihil amplius.

CL. Tantum fat habes? quid tum, quæso, si hoc pater resciverit?

SY. Quid si redeo ad illos, qui aiunt, quid si nunc cœlum ruat?

CL. Metuo quid agam. *SY.* Metuis? quasi non ea potestas sit tua,

Quo velis in tempore ut te exsolvas, rem facias palam.

CL. Age, age, traducatur Bacchis. *SY.* Optume. Ipsa exit foras.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA III.

BACCHIS, CLINIA, SYRUS, DROMO,
PHRYGIA.

SATIS pol proterve me Syri promissa huc induxerunt,

Decem minas quas mihi dare pollicitus est. Quod si is nunc me

Deceperit, sæpe, obsecrans me ut veniam, frustra veniet.

Aut, cum venturam dixerò et constituero, cum is certe

Renuntiarit, Clitipho cum spe pendebit animi, Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo pœnas pendet.

CL. Satis scite promittit tibi. *SY.* Atqui tu hanc jocari credis?

Faciet, nisi caveo. *BA.* Dormiunt: ego pol istos commovebo.

Mea Phrygia, audistin', modo iste homo quam villam demonstravit

Charini? *PH.* Audivi. *BA.* Proxumam esse huic fundo ad dextram? *PH.* Memini.

BA. Curriculo percurrere: apud eum miles Dionysia agitat.

SY. Quid inceptat? *BA.* Dic me hic oppido esse invitam, atque asservari:

Y

Verum

Verum aliquo pacto verba me his daturam esse, et venturam.

SY. Perii hercle. Bacchis, mane, mane: quo mittis istanc, quæso?

Jube, maneat. *BA.* Abi. *SY.* Quin est paratum argentum. *BA.* Quin ego hic maneo.

SY. Atqui jam dabitur. *BA.* Ut lubet: num ego in isto? *SY.* At scin' quid, fodes?

BA. Quid? *SY.* Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, et tua pompa

Eo traducenda est. *BA.* Quam rem agis, scelus? *SY.* Egon' argentum cudo,

Quod tibi dem. *BA.* Dignam me putas, quam inludas? *SY.* Non est temere.

BA. Etiamne tecum hic res mihi est? *SY.* Minime: tuum tibi reddo.

BA. Eatur. *SY.* Sequere hac. Heus, Dromo. *DR.* Quis me volt? *SY.* Syrus. *DR.* Quid est rei?

SY. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos prope.

DR. Quamobrem? *SY.* Ne quæras. Efferant, quæ secum huc attulerunt.

Sperabit sumtum sibi fenex levatum esse harunc' abitu.

Næ ille haud scit, hoc paulum lucri quantum ei damni

apportet.

Tu nescis id quod scis, Dromo, si sapias. *DR.* Mutum dices.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA IV.

CHREMES, SYRUS.

ITA me Dii amabunt, ut nunc Menedemi vicem Miferet me, tantum devenisse ad eum mali.

Illancine mulierem alere cum illa familia?

Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet:

Ita magno desiderio fuit ei filius.

Verum ubi videbit tantos sibi sumtus domi

Quotidianos fieri, nec fieri modum;

Optabit rursus ut abeat ab se filius.

Syrus optume, eccum. *SY.* Cesso hunc adoriri? *CH.*

Syre. *SY.* Hem.

CH. Quid est? *SY.* Te mihi ipsum jamdudum optabam dari.

CH. Videre egisse jam nescio quid cum sene.

SY. De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi.

CH. Bonan' fide? *SY.* Bona hercle. *CH.* Non possum pati,

Quin tibi caput demulceam. Accede huc, Syre:

Faciam boni tibi aliquid pro ista re, ac lubens.

SY. At si scias, quam scite in mentem venerit.

CH. Vah, gloriare evenisse ex sententia?

SY. Non hercle vero: verum dico. *CH.* Dic, quid est?

SY. Tui Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem,

Y 2

Menedemo

Menedemo dixit Clinia, et ea gratia
Secum adduxisse, ne tu id persentisceres.

CH. Probe. *SY.* Dic fodes. *CH.* Nimium inquam. *SY.*
Immo si fcias.

Sed porro ausculta quod supereft fallaciæ.
Sese ipse dicet tuam vidisse filiam:
Ejus sibi complacitam formam, postquam aspexerit:
Hanc cupere uxorem. *CH.* Modone quæ inventa est?
SY. Eam:

Et quidem jubebit posci. *CH.* Quamobrem istuc, Syre?
Nam prorsum nihil intelligo. *SY.* Hui, tardus es.
CH. Fortasse. *SY.* Argentum dabitur ei ad nuptias,
Aurum atque vestem, qui, tenesne? *CH.* Comparet?
SY. Id ipsum. *CH.* At ego illi nec do, nec despondeo.
SY. Non? quamobrem? *CH.* Quamobrem, me rogas?
homini——*SY.* Ut lubet.

Non ego dicebam, in perpetuum illam illi ut dares;
Verum ut simulares. *CH.* Non mea est simulatio:
Ita tu istæc tua misceto, ne me admisceas.
Egon', cui daturus non sim, ut ei despondeam?
SY. Credebam. *CH.* Minime. *SY.* Scite poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere jufferas,
Eo cœpi. *CH.* Credo. *SY.* Cæterum equidem istuc,
Chreme,

Æqui bonique facio. *CH.* Atqui cum maxime
Volo te dare operam ut fiat, verum alia via.

SY. Fiat: Quærat aliud. Sed illud quod tibi

Dixi

Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nunc reddendum est illi. Neque tu scilicet
Eo nunc confugies: quid mea? num mihi datum est?
Num jussi? num illa oppignerare filiam
Meam me invito potuit? verum illud, Chreme,
Dicunt: jus summum sæpe summa est malitia.
CH. Haud faciam. *SY.* Imo aliis si licet, tibi non licet.
Omnes te in lauta et bene aucta parte putant.
CH. Quin egomet jam ad eam deferam. *SY.* Imo fi-
lium
Jube potius. *CH.* Quamobrem? *SY.* Quia enim in hunc
suspicio est
Translata amoris. *CH.* Quid tum? *SY.* Quia videbitur
Magis verisimile id esse, cum hic illi dabit:
Et simul conficiam facilius ego, quod volo.
Ipse adeo adest; abi, effer argentum. *CH.* Effero.

A C T U S I V. S C E N A V.

CLITIPHO, SYRUS.

NULLA est tam facilis res, quin difficilis fiet,
Quam invitus facias. Vel me hæc deambulatio,
Quam non laboriosa, ad languorem dedit:

Nec quidquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miser aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Ut te quidem omnes Dii Deæque quantum est, Syre,

Cum

Cum tuo isto invento, cumque incepto perduint!
 Hujusmodi res semper comminiscere,
 Ubi me excarnufices. *SY.* Is tu hinc quo dignus es?
 Quam pene tua me perdidit protervitas?
CL. Vellem hercle factum: ita meritus. *SY.* Meritus?
 quomodo?
 Næ me istuc prius ex te audivisse gaudeo,
 Quam argentum haberes, quod daturus jam fui.
CL. Quid igitur dicam tibi vis? abiisti, mihi
 Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
SY. Jam non sum iratus: sed scin' ubi nunc fit tibi
 Tua Bacchis? *CL.* Apud nos. *SY.* Non. *CL.* Ubi Er-
 go? *SY.* Apud Cliniam.
CL. Perii. *SY.* Bono animo es: jam argentum ad eam
 deferes,
 Quod ei es pollicitus. *CL.* Garris. Unde? *SY.* A tuo
 patre.
CL. Ludis fortasse me. *SY.* Ipsa re experibere.
CL. Næ ego fortunatus homo sum: deamo te, Syre.
SY. Qua causa id fiat, obsecundato in loco.
 Sed pater egreditur. Cave quidquam admiratus sis.
 Quod imperabit, facito: loquitor paucula.

ACTUS IV. SCENA VI.

CHREMES, CLITIPHO, SYRUS.

UBI Clitipho nunc est? *SY.* Eccum me, inque. *CL.*
 Eccum hic tibi.
CH. Quid rei esset, dixti huic? *SY.* Dixi pleraque om-
 nia.
CH. Cape hoc argentum, ac defer. *SY.* I: quid stas,
 lapis?
 Quin accipis? *CL.* Cedo sane. *SY.* Sequere hac me
 ocius:
 Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere:
 Nam nihil est, illic quod moremur diutius.
CH. Minas quidem jam decem habet a me filia,
 Quas pro alimentis esse nunc duco datas:
 Hæc ornamentis consequentur alteræ.
 Porro hæc talenta dotis apposcunt duo.
 Quam multa injusta ac prava fiunt moribus!
 Mihi nunc, relictis rebus, inveniendus est
 Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

A C T U S I V. S C E N A V I I.

M E N E D E M U S, C H R E M E S.

MULTO omnium me nunc fortunatissimum
Factum puto esse, gnate, cum te intelligo
Resipisse. *CH.* Ut errat! *ME.* Te ipsum quærebam,
Chreme:

Serva, quod in te est, filium, et me, et familiam.

CH. Cedo, quid vis faciam? *ME.* Invenisti hodie filiam.

CH. Quid tum? *ME.* Hanc uxorem sibi dari volt Clinia.

CH. Quæso, quid hominis es? *ME.* Quid? *CH.* Jamne
oblitus es,

Inter nos quid sit dictum de fallacia,

Ut ea via abs te argentum auferretur? *ME.* Scio.

CH. Ea res nunc agitur ipsa. *ME.* Quid dixti, Chreme?

Erravi. *CH.* Et quidem hæc quæ apud te est, Clitiphonis est

Amica. *ME.* Ita aiunt. *CH.* Et tu credis? *ME.* Omnia.

CH. Et illum aiunt velle uxorem, ut, cum desponderim,

Des qui aurum ac vestem, atque alia, quæ opus sunt,
comparet.

ME. Id est profecto: id amicæ dabitur. *CH.* Scilicet

Daturum. *ME.* Vah, frustra sum igitur gavisus miser.

Quidvis tamen jam malo, quam hunc amittere.

Quid nunc renuntiem abs te responsum, Chreme,

Ne

H E A U T O N T I M O R U M E N O S. 177

Ne sentiat me sensisse, atque ægre ferat?

CH. Ægre? nimium illi, Menedeme, indulges. *ME.* Sine,

Inceptum est: perface hoc mihi perpetuo, Chreme.

CH. Dic convenisse, egisse te de nuptiis.

ME. Dicam: quid deinde? *CH.* Me facturum esse omnia;

Generum placere: postremo etiam, si voles,

Desponsam quoque esse dicito. *ME.* Hem, istuc volueram.

CH. Tanto ocius te ut poscat, et tu id, quod cupis,

Quam ocissime ut des. *ME.* Cupio. *CH.* Næ tu prope diem,

Ut istam rem video, istius obsaturabere.

Sed, hæc ut ut sunt, cautim et paulatim dabis,

Si sapiens. *ME.* Faciam. *CH.* Abi intro: vide, quid postulet.

Ego domi ero, si quid me voles. *ME.* Sane volo:

Nam te scientem faciam, quidquid egero.

A C T U S V. S C E N A I.

M E N E D E M U S, C H R E M E S.

EGO me non tam astutum, neque ita perspicacem
esse, id scio:

Sed hic adjutor meus, et monitor, et præmonstrator
Chremes

Quid

Z

Hoc

Hoc mihi præstat. In me quidvis harum rerum con-
venit,

Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plum-
beus:

In illum nihil potest: nam exsuperat ejus stultitia hæc
omnia.

CH. Ohe, jam define Deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam; nisi illos ex tuo ingenio
judicas;

Ut nil credas intelligere, nisi idem dictum sit centies.

Sed interim quid illic jamdudum gnatus cessat cum
Syro?

ME. Quos ais homines, Chreme, cessare? *CH.* Ehem,
Menedeme, advenis?

Dic mihi, Clinia, quæ dixi, nuntiastin'? *ME.* Omnia.

CH. Quid ait? *ME.* Gaudere adeo occepit, quasi qui
cupiunt nuptias.

CH. Ha, ha, hæ. *ME.* Quid risisti? *CH.* Servi venere
in mentem Syri

Calliditates. *ME.* Itane? *CH.* Voltus quoque homi-
num fingit scelus.

ME. Gnatus quod se assimulat lætum, id dicis? *CH.*

Id. *ME.* Itidem istuc mihi

Venit in mentem. *CH.* Veterator. *ME.* Magis, si ma-
gis noris, putes

Ita rem esse. *CH.* Ain' tu? *ME.* Quin tu ausculta. *CH.*

Mane: hoc prius scire expeto,

Quid

Quid perdidideris. Nam ubi desponsam nuntiasti filio,
Continuo injecisse verba tibi Dromonem scilicet,
Sponsæ vestem, aurum, atque ancillas, opus esse, ar-
gentum ut dares.

ME. Non. *CH.* Quid non? *ME.* Non, inquam. *CH.*

Neque ipse gnatus? *ME.* Nil prorsus, Chreme.
Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nup-
tiæ.

CH. Mira narras. Quid Syrus meus? ne is quidem quid-
quam? *ME.* Nihil.

CH. Quamobrem? *ME.* Nescio equidem: sed te mi-
ror, qui alia tam plane scias.

Sed ille tuus quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paulum quidem suboleat esse amicam hanc Cli-
niæ.

CH. Quid ais? *ME.* Mitto jam osculari, atque amplex-
ari: id nil puto.

CH. Quid est, quod amplius simuletur? *ME.* Vah.

CH. Quid est? *ME.* Audi modo:

Est mihi in ultimis conclave ædibus quoddam retro:
Huc est intro latus lectus, vestimentis stratus est.

CH. Quid, postquam hoc est factum? *ME.* Dictum ac
factum, huc abiit Clitipho.

CH. Solus? *ME.* Solus. *CH.* Timeo. *ME.* Bacchis con-
secuta est illico.

CH. Sola? *ME.* Sola. *CH.* Perii. *ME.* Ubi abiere in-
tro, operuere ostium. *CH.* Hem.

Z 2

Clinia

Clinia hæc fieri videbat? *ME.* Quidni? una mecum
fimul.

CH. Filii est amica Bacchis, Menedeme: occidi.

ME. Quamobrem? *CH.* Decem dierum vix mi est fa-
milia.

ME. Quid? istuc times, quod ille operam amico dat
suo?

CH. Imo quod amicæ. *ME.* Si dat. *CH.* An dubium id
tibi est?

Quenquamne animo tam comi esse, aut leni putas,
Qui se vidente amicam patiatur suam? *ME.* Ah,
Quidni? quo verba facilius dentur mihi.

CH. Derides? merito mihi nunc ego succenseo.

Quot res dedere, ubi possem persentiscere,
Ni essem lapis? quæ vidi? væ misero mihi!

At næ illud haud inultum, si vivo, ferent:

Nam jam—*ME.* Non tu te cohibes? non te respicis?

Non tibi ego exempli satis sum? *CH.* Præ iracundia,

Menedeme, non sum apud me. *ME.* Tene istuc loqui?

Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare,

Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?

CH. Quid faciam? *ME.* Id, quod me fecisse aiebas pa-
rum:

Fac te patrem esse sentiat: fac ut audeat

Tibi credere omnia; abs te petere et poscere,

Ne quam aliam quærat copiam, ac te deferat.

CH. Imo abeat multo malo quovis gentium,

Quam

Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem:

Nam si illi pergo suppeditare sumtibus,

Menedeme, mihi illæc vere ad rastros res redit.

ME. Quot incommoda tibi in hac re capies, nisi caves?

Difficilem ostendes te esse, et ignosces tamen

Post, et id ingratum. *CH.* Ah, nescis quam doleam.

ME. Ut lubet.

Quid hoc, quod volo, ut illa nubat nostro? nisi quid est,

Quod mavis. *CH.* Imo et gener et adfines placent.

ME. Quid dotis dicam te dixisse filio?

Quid obticuiisti? *CH.* Dotis? *ME.* Ita dico. *CH.* Ah.

ME. Chreme,

Ne quid vereare, si minus: nil nos dos movet.

CH. Duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis:

Sed ita dictu opus est, si me vis salvom esse, et rem, et

filium,

Me mea omnia bona doti dixisse illi. *ME.* Quam rem

agis?

CH. Id mirari te fimulato, et illum hoc rogitato fimul,

Quamobrem id faciam. *ME.* Quin ego vero, quamob-

rem id facias, nescio.

CH. Egone? ut illius animum, qui nunc luxuria et las-

civia

Diffluit, retundam, et redigam, ut quo se vortat ne-

sciat.

ME. Quid agis? *CH.* Mitte, sine me in hac re gerere

mihi morem. *ME.* Sino:

Itane

Itane vis? *CH.* Ita. *ME.* Fiat. *CH.* Ac jam, uxorem ut accerfat, paret.

Hic ita, ut liberos est æquom, dictis confutabitur.

Sed Syrum—*ME.* Quid eum? *CH.* Egone? si vivo, adeo exornatum dabo,

Adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit semper mei:

Qui sibi me pro deridiculo ac delectamento putat.

Non, ita me Dii ament, auderet facere hæc viduæ mulieri,

Quæ in me fecit.

A C T U S V. S C E N A II.

CLITIPHO, MENEDEMUS, CHREMES, SYRUS.

ITANE tandem quæso est, Menedeme, ut pater Tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum patris?

Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi miser?

Volgo faciunt. *ME.* Scio tibi esse hoc gravius multo ac durius,

Cui fit: verum ego haud minus ægre patior id, qui nescio;

Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.

CL. Hic patrem esse aiebas? *ME.* Eccum. *CH.* Quid me incufas, Clitipho? Quidquid

Quidquid ego hujus feci, tibi prospexi, et stultitiæ tuæ.

Ubi te vidi animo esse omisso, et, suavia in præsentia

Quæ essent, prima habere, neque consulere in longitudinem;

Cepi rationem, ut neque tu egeres, neque ut hæc posses perdere.

Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare,

Abii ad proximos, tibi qui erant; eis commisi et credidi.

Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium, Clitipho, Victus, vestitus, quo in tectum te receptes. *CL.* Hei mihi!

CH. Satius est, quam, teipso herede, hæc possidere Bacchidem.

SY. Disperii: scelestus quantas turbas concivi insciens!

CL. Emori cupio. *CH.* Prius, quæso, disce quid sit vivere:

Ubi scies, si displicebit vita, tum istoc utitor.

SY. Here, licetne? *CH.* Loquere. *SY.* At tuto? *CH.*

Loquere. *SY.* Quæ ista est pravitas,

Quæve amentia est, quod peccavi ego, id obeffe huic?

CH. Ilicet,

Ne te admisce: nemo accusat, Syre, te: nec tu aram tibi,

Neque precatorem pararis. *SY.* Quid agis? *CH.* Nil

succenseo,

Nec tibi, nec huic; nec vos est æquum, quod facio,

mihi.

SY. Abiit.

SY. Abiit. Vah, rogasse vellem? *CL.* Quid Syre? *SY.*

Unde mihi peterem cibum:

Ita nos alienavit. Tibi jam esse ad sororem intelligo.

CL. Adeon' rem rediisse, ut periculum etiam fame mihi fit, Syre?

SY. Modo liceat vivere, est spes. *CL.* Quæ? *SY.* Nos esurituros fatis.

CL. Irrides in re tanta, neque me quidquam consilio adjuvas?

SY. Imo et ibi nunc sum, et usque dudum id egi, dum loquitur pater:

Et, quantum ego intelligere possum—*CL.* Quid?

SY. Non aberit longius.

CL. Quid id ergo? *SY.* Sic est: non esse horum te arbitror. *CL.* Quid istuc, Syre?

Satin' fanus es? *SY.* Ego dicam, quod mihi in mentem: tu dijudica.

Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio,

Quæ propior esset, te indulgebant, tibi dabant: nunc filia

Postquam est inventa vera, inventa est causa, qua te expellerent.

CL. Est verisimile. *SY.* An tu ob peccatum hoc esse illum iratum putas?

CL. Non arbitror. *SY.* Nunc aliud specta: matres omnes filiis

In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria

Solent

Solent esse: id non fit. *CL.* Verum dicis. Quid ergo nunc faciam, Syre?

SY. Suspicionem istanc ex illis quære: rem profer palam. Si non est verum, ad misericordiam ambos adduces cito, aut

Scibis cujus sis. *CL.* Recte fuades: faciam. *SY.* Sat recte hoc mihi

In mentem venit: namque adolescens, quam in minima spe fitus erit,

Tam facillime patris pacem in leges conficiet suas.

Etiam haud scio an uxorem ducat, ac Syro nil gratiæ.

Quid hoc autem? senex exit foras: ego fugio. Adhuc quod factum est,

Miror non jussisse illico arripi me. Ad Menedemum hinc pergam:

Eum mihi precatorem paro: seni nostro fidei nihil habeo.

A C T U S V. S C E N A I I I.

S O S T R A T A, C H R E M E S.

PR O F E C T O, nisi caves tu homo, aliquid gnato conficies mali:

Idque adeo miror, quomodo

Tam ineptum quidquam tibi, venire in mentem, mi vir, potuerit.

CH. Oh, pergin' mulier esse? nullamne ego rem unquam in vita mea

A a

Volui,

Volui, quin tu in ea re mihi aduorsatrix fueris, Sof-
trata?

At si rogitem jam, quid est quod peccem; aut quam-
obrem id faciam, nescias:

In qua re nunc tam confidenter restas, stulta. *SO.* Ego
nescio?

CH. Imo scis potius, quam quidem redeat ad integrum
eadem oratio.

SO. Oh, iniquos es, qui me tacere de re tanta postules.

CH. Non postulo: jam loquere: nihilo minus ego hoc
faciam tamen.

SO. Facies? *CH.* Verum. *SO.* Non vides quantum mali
ex ea re excites?

Subditum se suspicatur. *CH.* Subditum! ain' tu? *SO.*
Certe sic erit,

Mi vir. *CH.* Confitere. *SO.* Au, obsecro te, istuc ini-
micis fiet.

Egon' confitear meum non esse filium, qui fit meus?

CH. Quid? metuis, ne non, cum velis, convincas esse
illum tuum?

SO. Quod filia est inventa? *CH.* Non; sed, quo magis
credendum fiet

Id, quod est confimilis moribus,

Convinces facile ex te natum: nam tui fimilis est probe:

Nam illi nihil vitii est relictum, quin fit et idem tibi:

Tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.

Sed ipse egreditur, quam seuerus! rem cum videas, cen-
seas.

ACTUS

ACTUS V. SCENA IV.

CLITIPHO, SOSTRATA, CHREMES.

SI unquam ullum fuit tempus, mater, cum ego vo-
luptati tibi

Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate, obsecro

Ejus ut memineris, atque inopis nunc te miserecat mei;

Quod peto et volo, parentes meos ut commonstres mihi.

SO. Obsecro, mi gnate, ne istuc in animum inducas
tuum,

Alienum esse te. *CL.* Sum. *SO.* Miseram me! hoccine
quæfisti, obsecro?

Ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque hoc
natus es:

Et cave posthac, si me amas, unquam istuc verbum ex
te audiam. *CH.* At

Ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam.

CL. Quos? *CH.* Si scire vis, ego dicam: gerro, iners,
fraus, helluo,

Ganeo, damnosus. Crede; et nostrum te esse credito.

CL. Non sunt hæc parentis dicta. *CH.* Non, si ex ca-
pite sis meo

Natus, item ut aiunt Minervam esse ex Jove, ea causa
magis

Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.

A a 2

SO.

SO. Dī istāc prohibeant. *CH.* Deos nescio: ego, quod potero, sedulo.

Quæris id, quod habes, parentes: quod abest non quæris, patri

Quomodo obsequare, et ut serves quod labore invenit.

Non mihi per fallacias adducere ante oculos? pudet
Dicere hac præfente verbum turpe: at te id nullo modo
Facere puduit. *CL.* Eheu, quam nunc totus displiceo mihi!

Quam pudet! neque, quod principium incipiam ad placandum, scio.

A C T U S V. S C E N A V.

*MENEDEMUS, CHREMES, CLITIPHO,
S O S R T A T A.*

ENIMVERO Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum,

Nimis inhumane. Exeo ergo, ut pacem conciliem.
Optume

Ipfos video. *CH.* Ehem, Menedeme, cur non accerfijubes

Filiam, et quod dotis dixi, firmas? *SO.* Mi vir, te obsecro

Ne facias. *CL.* Pater, obsecro ut mi ignofcas. *ME.* Da veniam, Chreme. Sine

Sine te exorent. *CH.* Egon' mea bona ut dem Bacchidi dono fciens?

Non faciam. *ME.* At nos non finemus. *CL.* Si me vivom vis pater,

Ignofce. *SO.* Age, Chremes mi. *ME.* Age, quæfo, ne tam obfirma te, Chreme.

CH. Quid istuc? video non licere, ut cœperam, hoc pertendere.

ME. Facis ut te decet. *CH.* Ea lege hoc adeo faciam; fi facit id,

Quod ego hunc æquom cenfeo. *CL.* Pater, omnia faciam: impera.

CH. Uxorem ut ducas. *CL.* Pater. *CH.* Nihil audio. *ME.* Ad me recipio:

Faciet. *CH.* Nil etiam audio ipsum. *CL.* Perii. *SO.* An dubitas, Clitipho?

CH. Imo utrum vult. *ME.* Faciet omnia. *SO.* Hæc, dum incipias, gravia funt,

Dumque ignores: ubi cognoris, facilia. *CL.* Faciam, pater.

SO. Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames,

Filiam Phanocratæ nostri. *CL.* Rufamne illam virginem,

Cæfiam, fparfo ore, adunco naso? non possum, pater.

CH. Heia, ut elegans est! credas animum ibi esse? *SO.* Aliam dabo.

CL.

CL. Quid istic? quandoquidem ducenda est, egomet habeo propemodum,

Quam volo. SO. Nunc laudo te, gnate. CL. Archonidi hujus filiam.

SO. Perplacet. CL. Pater, hoc nunc restat. CH. Quid? CL. Syro ignoscas volo,

Quæ mea causa fecit. CH. Fiat. Vos valetate, et plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

P.

P. T E R E N T I I
A D E L P H I,

ACTA LUDIS FUNEBRIBUS L. ÆMILII PAULI. QUOS FECERE Q. FABIVS MAXIMVS, P. CORNELIVS AFRICANVS. EGERE L. ATTILIVS PRÆNESTINVS, MINUCIVS PROTIVS. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDII, TIBIIS SARRANIS. FACTA E GRÆCA MENANDRU. L. ANICIO, M. CORNELIO COSS.

Personæ.

PROLOGVS.

MICIO, *senex.*DEMEA, *senex.*SANNIO, *leno.*ÆSCHINVS, *adolescens.*SYRVS, *servus.*CTESIPHO, *adolescens.*SOSTRATA, *matrona.*CANTHARA, *nutrix.*PAMPHILA, *puerpera.*GETA, *servus.*HEGIO, *senex.*DROMO, *servus.**Personæ mutæ.*TIBICINA, *Ctesiphonis amica.*PARMENO, *servus.*

ADEL-